

Fr. 154
97

De Enchiridionum scriptoribus

IIa
343

2. D. B. VI!

VALEDICTURUM
 DIE CRASTINO
 IN
 AUDITORIO MAJORI
 JOHANNEM ANDREAM
 TRÖMERUM,
 DRESDENSEM,
 UT
 BENIGNE ET BENEVOLE AUDIANT,
 VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
 PATRONOS, FAUTORES
 AMICOSQVE NOSTROS
 PER OFFICIOSE ET PER AMANTER ROGAT
 M. GEORGIUS ANDREAS Winhold / RECTOR.



CYGNÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS.



Enchiridia,
Torques Danicae.



Vod de lingua Græca ejusque genio dicitur, Musam Grajis ore rotundo loqui dedisse: illud partim ex integris dictionibus inter se junctis, partim e singulis vocabulis, præcipue compositis, apparet. Exemplo nunc vel unicum esto *ἐγχειριδιον*, quod ab *ει* & *χειρ* deductum generatim id significat, quod manu comprehendit, manu teneri, in manus commode sumi tractarique fine molestia potest. Sigillatim vero manubrium, pugiunculum in manu gestari solitum, vasa item & organa vasorum, necnon & parvum libellum mole exiguum usque facile tractabilem, Gallis *Livre*, qui se peut tenir en la main, designat. Quæ significatio prior potiorque & quæti nativâ sit, disquiritur passim a literatis. Mihi placet eorum sententia, qui *ἐγχειριδιον* tradunt, antiquitus idem fuisse, quod Græcis *ξίφος* aut *δραγασι* *τεμπικόν*, i. e. instrumentum incidendi vim habens, sicam, pugionem. (a) Nam & antiquiores eam interpretationem afferunt, Xenophon, Thucydides: & Domitiano imperante, libelli quidam *ἐγχειριδια* nominari ceperunt. Accidit videlicet posteris temporibus, ut enchiridion etiam ad scriptores transiret, librosque manu forma breviora claudendos, ut Guntherus loquitur, (b) notaret, qui ad manum semper debebant haberi, seu manu nullo negotio circumferri poterant; (c) aut in quibus omnia breviter continebantur, quæ ad rei aliquis cognitionem pertinerent. Quemadmodum Lipsius Principi optat, ut Philippus Cominæus, nobilis ille Ludovici XI, Regis Galliarum scriptor, enchiridion familiarè fiat: hunc enim Philippum omnia videre, penetrare, arcanorum consilia eruere, & subinde salutaribus instruere rarisque præceptis, idque diffuse Polybiano quodam exemplo: licet ipse literarum rudis nec Polybium nec Polybio similem viderit aut legerit. (d) Quemadmodum pugionem Vossius, non ut Festus a pungendo, quasi eo punctim pugnetur, sed a pugno mavult deducere, eo quod commode pugno comprehendiqueat; quam ob causam etiam a Græcis enchiridion appellatur. (e) Sicut & Alexandri Ariostii, qui seculo decimo quinto floruisse perhibetur, Minorica vulgo Enchiridion nuncupari cepit, quod in ea omnes casus conscientiæ proponi videntur. (f) Et Simplicius memoriæ prodit, Epicteti libellum inscribi *ἐγχειριδιον δια τὸ πρόχειρον εἶναι ἀπὸ θεῶν καὶ ἑτοιμον εἶναι τοῖς βουλομένοις εἶναι*, i. e. Enchiridion propterea, quod promptum illud esse deberet & paratum ad bene vivendum iis, quibus beata vita cordi esset. Subjicit illico rationem similitudinis: *καὶ γὰρ τὸ στρατιωτικὸν ἐγχειριδιον ξίφος ἐστὶ πρόχειρον εἶναι τῆς χειρὸς εἶναι*. Nam militare enchiridion gladius est promptus, semper utentibus qui esse ad manum debet. (g) Enchiridion extrusa litera i legitur apud Paulum Diaconum; (h) sed fortassis incuria descriptorum litera nominata ommissa est. Scribunt quidam & Encheridion, et Græcorum in Latinum e mutando; verum & notior & probatior Enchiridii appellatio. His ita de nomine prælatis, Enchiridiorum exempla in scenam producam, ut in magna copia pateat, quantopere eadem nominatio citerioribus & optimis quibusque ingeniis arriserit, Scripserunt enim

I. Paulus Ægineta medicina totius Enchiridion, septem libris universam recte medendi rationem complectens, Albano Torino Vitodurenfi interprete. Basileæ. Fuit iste Paulus, ab Ægina patria Ægineta cognominatus, illustris omniumque Medicorum post Galenum, quem compendio constrinxit, longe doctissimus scriptor, & ex eo maxime, quid efficere potuerit, cognitum esse voluit, quod artis medicæ peculiaria problemata omnia hac epitome perstrinxit, in quibus omnes medicinæ partes, quantum compendio fieri potuit, perspicue, miro ordine atque artificio docentur; unde ars medendi, quam practicam vocant, condiscatur.

II. B. Flaccus Albinus seu Alchvinus, Abbas & Caroli M. Imperatoris quondam Magister laudatissimus, *Enchiridion vel expositionem piam ac brevem in septem Psalmis poësi*.

[a] Hesychius. Meursius Glossar. Græco-barb. [b] in Ligur. l. i. [c] Perotti cornu copia. [d] in not. ad l. i. Polit. c. 9. [e] d. Analogia l. i. c. 22. [f] König. Bibliothec. vet. & nov. [g] Vossius in Etymologico. [h] in præf. ad vitam S. Mariae Ægypti. conf. de Fesful glossar.

penitentiales. Parisiis. 1617. Neque satis habuit, Imperatori Magno ab eleamofyna & sanctioribus consiliis fuisse: Imperatori Magno, ut Academia Parisiensis constitueretur, consilium dedisse: Imperatoris Magni gesta posteritati literis tradidisse: quin Regis sancti quoque suspiria & lacrymas doloris stilo persecutus est, in quibus præmittit argumenta & finem singulorum Psalmorum, sensumque exponit pro viribus suis, & ad fidem pariter & vitam Christiano federe dignam accommodat. Quis autem miretur, virum in tantum dilexisse Davidicam, cum illum mille fraudum artificem, fallacem pietatis speciem objicientem sibi, Davidicis aliquando pepulerit?

III. *Johannes Aquila, Jctus, Enchiridion de omni ferme ludorum genere*. Oppenheimii 1516. Concisus est in enarrandis præcorum ludorum generibus, (nisi quod aleam, sed magis ex Jctorum sententia & jure, paulo prolixius excutiat), & in nominibus ad ludum pertinentibus, ut & jure atque moribus: sic ut aquilæ instar campum longe uberrimum ludibundus transvolasse videatur. Nihil fecius leges imperatorias crebro allegat; dignus profecto, qui insignia Cæsaria & virtute & ingenio & nominis fama, dum viveret, referens, seipso insignior ornatiorque haberetur.

IV. *Aurelius Augustinus, Hipponensis Episcopus, Enchiridion ad Laurentium urbis Roma primicerium*. Hic ab Augustino celeberrimo patre postulaverat, ut aliquid ejus opusculum haberet de suis manibus non recessurum, quale Græci enchiridion appellarent. Annuit postulanti pro sua facilitate Præsul, responditq; Laurentio: *Tu enchiridion a nobis postulas, id est, quod manibus posse astringi, non quod armaria possit onerare*. Prodiit vero hoc Enchiridion non semel, Genevæ 1575. in 8. Witteb. 1604. in 4. & superiori anno Lipsiæ, imprimis in usum studiosæ juventutis opera & cura Magnif. D. Rechenbergii, qui utiliter de studio Theologico præfatus est, & Augustiniani opusculi utilitatem vel inde commendat, quod ea, quæ Christiano credenda & facienda sunt, pleraque compendio eo confrinxerit atque perspicue tradiderit: præsertim cum multa sacræ scripturæ loca, quibus assertiones suas probat, simul dilucidaverit. Tameñ Autor in eodem libello nonnunquam lapsus sit. Extat ipsius Augustini prologus in codice Manuscripto apud Lipsienses in Bibliotheca Paulina. Verba ita habent: *Scripti librum de fide, spe & charitate, cum a me (Laurentius) postulasset, ut aliquid opusculum haberet meum de suis manibus non recessurum: quod genus Græci Enchiridion vocant: ubi satis diligenter videor esse complexus, quomodo sit colendus Deus: quia sapientiam esse hominis utique veram divinam scripturâ definit*.

V. *Caspar Bartholinus, Medicus Danus, Enchiridion Metaphysicum*. Francof. 1616, 1625. in 8. Argent. 1618. 1652. in 12. Pro angusta tyronum memoria, cui potissimum infervire studebat, ex Aristotele optimisque ejus interpretibus compendium hocce adornavit, omissis rebus inutilibus, utilium contemplatione succincta extra verborum strepitum juvenes allexit. Imo tantum majusculis expressa literis imprimi volebat ab hominibus tenuioris memoriæ, ne teneritudo novellorum Metaphysicorum de prolixitate querendi causam haberet. Quantum ei tribuendum sit, jamdudum nona editio declaravit.

VI. *Idem Enchiridion Logicum*. Hafniæ 1628. Magdeb. 1622. Witteb. 1611. & 1614. Argent. 1621. 1628. Eundem Stagiriten prudenter respexit, indeque sibi decerpfit, quæ requirebantur, ut præcepta rationis magistræ accurate declararentur, controversiæ præcipuæ enuclearentur, brevis & perspicua exercitatio in syllogismis faciendis, in scriptis resolvendis, in definiendo, disputando, docendo, refutando ostenderetur. Hæc enim omnia in mente Bartholiniana versabantur, cum id multa cum laude exequi vellet, quod sibi in istis velut tabulis præfixerat, breviter & veritate. Sic se gerendo non est mirandum, si Præceptoribus olim suis Resenio, Libavio, Neldelio, Bertio, Cornelio

Cornelio & Jacobo, Martiniis, denique lucem accenderit: perinde ut antea istorum splendore inter cæteros coruscaverat.

VII. Idem *Enchiridion Ethicum*. Hafniæ 1630. Rostochii 1624. Argent. 1621. Ivit in via regia Aristotelicorum doctrinamque morum in communem & propriam divisit partem: in illa contemplatus summum bonum civitatis, ejusque signum voluptatem; deinde actiones humanas, affectus, virtutem, virtutisque divisionem, gradus, & si qua virtuti reluctari videbantur: in hac de justitia universa agit, tum seorsum de jure & injuria, de temperantia, fortitudine, liberalitate, magnificentia, modestia, magnanimitate, mansuetudine, comitate, urbanitate, veritate, taciturnitate, tandem etiam de semivirtutibus aut virtutibus dimidiis. Nihil hic candidatus Ethicæ de abundantia queri debet: nam recidit luxuriantem copiam; nihil de penuria: quoniam legentis ingenium tenet, nutrit, implet, in admirationem trahit, quando perpetuum brevitatis cum ubertate certamen animadvertit.

VIII. Petrus Baynus, Taurinensis, *de medendis humani corporis malis Enchiridion*, quod vulgo, *Veni Mecum*, vocant. Basileæ 1561. 1578. Erat ille Caroli II. Sabaudia Ducis Archiater, vir ingenio summus, experientia admirandus, & tam præclare de republica literaria meritis, ut cum antiquis non modo Arabibus, sed etiam Græcis conferri potuerit. Conjunxit autem rationem dogmaticorum cum Empiricorum experientia, contemnit, ut Medici loquuntur, Methodicis. Nam, quantum ad methodum pertinet, naturam quorumlibet morborum, causas, signa, discrimina, prognostica succincte, exigente sic necessitate, & quibus febrim nomen imponitur, morbos pertractat. In morbis particularibus non eos tantum, qui ad Medicum Physicum spectant, considerat; sed etiam qui Chirurgorum proprii esse ab imperitis judicantur. Ex hoc igitur promtuario ad omnes morbos, teste Zwingero, sylvium remedium *εὐ ἀρκήσιον χροῖον* habebis.

IX. Johannes Campensis *Enchiridion Psalmorum Davidis*. Lugduni 1534. 1440. Ex Hebraica veritate in Latinam linguam convertit Psalmos, quos eadem opera paraphrasi illustrat e regione posita, ita ut versus versus respondeat, fateaturque se obscuros locos eosque non paucos verbis planioribus explicuisse. Cumque liber Psalmorum Enchiridion quoddam pietatis haberi ab omni pio debeat: quomodo ingratus foret labor Campensis, quem in conficiendo Enchiridio Enchiridii infumit?

X. Franciscus Cathelinæus, Jctus, *Enchiridion titulorum aliquot juris*. Colonia 1565. In iis titulis universum pene jus summam continetur de verborum & rerum significatione ex Pandectis; de regulis juris ex Pandectis; tum ex Decretalibus & Sexto de gradibus affinitatis ex Pandectis; item titulum utriusque juris. Proinde Cathelinæus *παιδομαχίον* quoddam ac diverforium juris titulorum publicavit, eosque hospitii sui jure frui atque officio dignatus est.

XI. Antonius Chalmetens, *Vergesacus, Enchiridion Chirurgicum*, cui morbi Venerei curandi ratio una cum instrumentorum & ferramentorum descriptione accessit, Lugduni 1570. 1621. Cum aliquandiu apud Anicienses Chirurghi munere perfunctus esset: retulit se tandem in patriam, tum ut memoriam fidelius confirmaret, tum ut obliviosæ consulere senectuti. Quo facto chartulas laceras & tanquam Sibyllæ folia huc illucque dispersas colligens libellum velut Enchiridion quoddam ex Græcis, Latinis, Arabibusque Practicis composuit, nihilque prætermisit eorum, quæ Monspessuli sub Doctoribus Guilielmo Rondellio, Antonio Saporta, M. Guilielmo Lothero audiverat: denique nihil neglexit dicere eorum, quæ Lutetiæ ex ore Jacobi Sylvii aliisque medicæ artis peritissimis hauserat. Quibus tamen præterea suas etiam observationes & sua addidit experimenta. Volebat autem hoc Enchiridion ut bibliothecam portatilem secum ferre, si quando foras ad visitandos ægros proficisceretur,

cisceretur, ne esset magna molestaque librorum sarcina opus. Idem opusculum, clam ab aliquo Auctori surreptum & Typographo traditum, jam sub prelo ingenuit, proditutum in orbem cum gemitu confectoris, nisi furto deprehensio, ad limam Adami Fontani Medici, cui Chalmeteus id opera de-derat, revocatum maturius fuisset.

XII. *Johannes Combesius, Enchiridion Apophthegmatum Philosophorum, Regum, Imperatorum & aliorum illustrium virorum.* 1587. Jen. 1593. A docendi munere propter savientem pestem abstinere coactus, ut segne otium fugeret, contra vero juventuti elegantiarum studiosæ prodesset, ex optimis quibusque scriptoribus argute atque ingeniose dicta excerpfit, selegit notabiliora, omiffis & rejectis omnibus, quæ ad lasciviam potius quam ad honestam vivendi rationem juveniles impetus provocare solent. Dumque singula diligenter in locos digessit communes, duplici de causa, Enchiridii nomen indidit, partim, quod apophthegmata ipsa judicio discrevit, partim, quod materias suis locis ordinavit, adeoque compendium effecit & rerum & investigationis.

XIII. *Franciscus Costerius, Societatis Jesu, Enchiridion controversiarum precipuarum nostri temporis.* Turoni 1591. Colon. 1585. quod deinde locupletatus exiit Colonia Agrippinæ 1586. 1593. 1599. 1608. Argentorati 1606. Ubi articulos inter Evangelicos & Pontificios controversos examinat, suorumque sententias pleno fervore propugnare adortus est.

XIV. *Benedictus Curtius, Symphorianus, Eques Ecclesie Lugdunensis, Enchiridion utriusque juris Terminorum.* Lugduni 1543. 1547. In titulos consignavit Terminorum finiciones e voluminibus juris tam Cæsarei, quam Pontificii decerpas: quo Terminorum æque ac rubricarum via pateret. Neque vero se vel ad Tribonianum vel ad Johannem aut quempiam alium ita aditinxit, quin nonnullas rubricas seposuerit, aliquas anteposuerit vel etiam transposuerit. Namque propinquius consultiusque ipsi fuerat visum facere, ut quaque vocula & materia alii jungeretur propius: & ut una aliam peperisset quasi videretur.

XV. *Johannes Ehartus, Pastor Bensledensis in Comitatu Mansfeldico, Enchiridion Theologicum Positivo-Polemicum super compendium Hutteri.* Jenæ 1662. 1665. Tractantur illic præter sanæ doctrinæ summam ex Hutteri compendio repetitam potiores controversiæ, bonaque fide ex nostratibus Theologis discutuntur. Animis quoque, quibus scrupulus injicitur, medicinam in singulis locis ostendit. Hoc pacto in uno Enchiridio triplex Enchiridion implicari videas, primum doctrinas recte credentium, alterum refutationes errantium, tertium solamina & fulcimenta dubitantium complectetur.

XVI. *Johannes Eccius seu Eckius, Enchiridion locorum communium adversus Lutheranos: quod hortatu Cardinalis Laurentii de Champegiis edidit, quo occupationes, quibus non vacat grandia Heroum volumina revolvere, in promptu & brevi, ut ajunt, manu haberent, quibus adversantibus occurrerent: simpliciores autem summarium haberent credendorum, ne facile ab aliis subverterentur.* Impressusque est istic libellus pluribus vicibus adhuc in vivis existente Auctore, qui gloriatur se Tubingæ, Parisiis, Lugduni, Colonia, & quinque in Bavaria impressum vidisse. Et quoniam in disputatione Lipsiensi, quæ usque in diem vigesimum protracta legitur, & in Badensi illic contra Lutherum, hic contra Oeclampadium pugnans compererat, Antagonistas suos scripturæ sacræ autoritate niti, ad se defendendum dicta sacra allegavit. At doctiores extra dubitationem ponunt, Enchiridium Eccianum audacter compilatum ex libris Regis Angliæ Henrici Vill. Joh. Roffensis, Joh. Fabri, Hieronymi Emseri, Joh. Cochläi, Ambrosii Catharini & similium ejus furfuris Scriptorum.

XVII. Epictetus Enchiridion. Arrianus, excellentissimus ille Philosophus, insignis Historicus, præstantissimus Jureconsultus, & fortissimus Dux militaris Epicteto, Stoico Philosopho, cum addictissimus esset, ejusque διατριβας, διαλέξεις, λόγους, καὶ περὶ τῶ βίῃ τοῦ Ἐπικτήτου καὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς scripsisset commentarium: non solum dissertationes, quas obiter in via, domo, schola doctor ille habuit, collegit ac digessit: verum & ex eisdem concinnavit epitomen, selectis ipsius Philosophiæ locis maxime necessariis & animos vehementissime permoventibus, quem libellum ἐγκυρίδιον Ἐπικτήτου inscripsit, quod ad manum semper cuivis esse debeat. Prodiit cum interpretatione Hier. Wolfii & Angeli Politiani eorumque notis, & Merici Casauboni, Succani & Abr. Berckelii animadversionibus & Græca paraphrasi incerti Auctoris, quæ & ipsa Casauboni notis illustrata est. 1683. cum aliis Arriani libellis quinto loco Nicolai Blancardi, substructis Epicteti apophthegmatibus & fragmentis elogiisque, quæ editor ex Stobæi eclogis moralibus, Marc. Aurelii Antonini libris & Gellii noctibus Atticis petiit. Ut taceam editionem Londinensem 1659. Venetam 1528. In eo Enchiridio animam Philosophiæ Stoicæ Epictetus includit.

XXIII. Desiderius Erasmus, Enchiridion militis Christiani. Colon. 1524. Liber sapius recusus & non ita pridem in 8. studio Val. Merbizzii. In vernaculam nostram transfudit D. Joh. Adelphus cum proluxa præfatione, inscripsitque Enchiridion vel *Handbüchlein eines Christlichen und Ritterlichen Lebens*, oder der *Christliche Ritter*. Basileæ. 1520. Pugnat sane in eo Auctor, ut miles, & quod alios docet, ipse facturus deprehenditur; licet ipsi a quodam objectum fuisse non dissimulet, in libello plus conspicit sanctimoniam, quam in libelli Autore. Sed & facundia & stilus elegans significat, Erasmus politioem veterum literaturam amplexum esse non ad inanem famam, aut puerilem animi voluptatem, sed multo ante quasi præmeditatum, ut Dominicum templum, quod nonnulli inciscia barbarieque sua nimis deonestaverant, exoticis opibus pro viribus exornaret, quibus & generosa ingenia possent ad divinarum scripturarum amorem inflammari.

XIX. Isaacus L. Fequernekinus, Ungarus, Enchiridion locorum communium Theologorum, ordine Alphabetico, quod iterum recusum est Basileæ 1586. Nempe Guiljelm9 Fequerneking in codicem summa fide ac diligentia retulit, digessit, absolvit, quod Augustus Marloratus cœperat, sed nondum ad finem perduxerat, thesaurum innuo Locorum communium ex ipsis sacrarum literarum adytis felici ausu eruerat, & commodissima juvenandæ memoriæ serie ad suos quosque titulos revocavit. Christophorus Obenhinius vero, quæ Marloratus omiserat exempla, e libris Canonicis & Apocryphis addens instructissimum divinorum exemplorum Theologiæ Candidatis edidit promtuarium. Horum igitur lucubrationes Auctori occasionem ad conscribendum Enchiridion dedere. Id quod ipse candide fatetur, ne si forte grex avium olim repetitum veniat plumas suas, risum moveat cornicula. Offendet hic lector omnes religionis Christianæ articulos, & quidem testimoniis divinis exemplisque confirmatos atque illustratos, dictionum sacrarum interpretationes, varias vocabulorum significationes, hoc est, proluxam rerum divinarum breviter in parva quadam paropside appositam.

XX.H. Johannes Gallus, pietatis Christianæ Enchiridion poeticum. Erfordiæ 1578. Capita pietatis Christianæ diverso carminum genere comprehendit, aliis etiam nonnullis ejusdem argumenti versibus additis: ut juvenus Christiana ex hoc quoque libello Christianæ religionis fundamenta & pietatem a teneris imbibens, studii simul poetici jucunditate ad pœseos amorem componendorumque versuum cognitionem invitaretur: & tum scurrilibus nugis, calumniis obscœnicisq; amoribus neglectis, non solum Juveni, Aratoris, Sedulii, Prudentii, Stigelii, Fabricii, Siberi, Claji, aliorumque, sed & suo exemplo divinam illam artem coleret atque exerceret. Vitavit itaque divinæ pœseos abusum,

abusum, tanquam Sirenium scopulos præsensque aconitum, & turpissimum sibi duxit venustissimas Apellis tabulas, aut eburneas Phidiæ statuas cæno contaminare.

XXI. *Jacobus Gaudensis, ord. min. frater, Enchiridion Poëtarum. 1501.* In eo primum literarum secutus ordinem dictiones ponit Latinas cum syllabarum mensura: deinde quasdam comparationes & similitudines Poëtarum, v. g. qua ratione apud Poëtas, Nunquam, exprimitur. Quod quidem institutum si perfecisset, utilissimam præstitisset operam. Sed suum deferens salivam magis movet tantillis inchoamentis, quam appetitum dicentis satiat.

XXII. *Johannes Gerhardus, D. & Superint. Heldburg. Enchiridion consolatorium, morti & tentationibus in agone opponendum. Jenæ. 1611. 1622. Hamburgi. 1618.* Per modum dialogi inducit tentatum & consolatorem; ita enim vocat personas colloquentes. Ille dubitare angique secum incipit, dum confiderat mortis prodromos morbos, mortis tricuspitem (peccatum, iram Dei, accusationem legis) peccati angorem, & cæteros Labyrinthos afflictæ animæ: at hic graviter & accurate e pharetra scripturæ sacræ tela ignita Satanæ repellit, animæque vulnera cœlesti medicina it sanatum. Monet vero auctor, se non scripsisse securis, impœnitentibus aut crudis cordibus, sed contritis, contractis & infirmis conscientiis. Utinam omnibus hæc medicina in oculis, in manibus, in pectoribus esset! Erigerent sine dubio se divinis solatiis, & pie vitam omnem instituerent. Quicumque enim hoc consolationis oleum recipere cupit, contritum cordis vasculum secum afferre debet.

XXIII. *Johannes Gigas, D. & Mathem. Prof. Enchiridion sphericum, i. e. Systema Cosmographicum compendiosum. Hanovix. 1615.* Huic cum publica professio in Schola Steinfurtenfi esset demandata, post annos octo id sibi creditit negotium datum, ut difficultates Mathematicarum, quæ plerosque ab utilissimo hoc studio absterrent, quantum in se esset, tolleret, vel certe migraret. Hinc, ne nullam operam impenderet in erudienda juventute, tyrocinium hoc, utriusque globi cœlestis & terrestris accuratam descriptionem continens, publici juris fecit. Estque id Enchiridion simul boni & castigati judicii Enchiridion.

XXIV. *Janus Gruterus, Bibliothecam exulum seu Enchiridion divinx humanæq; prudentiæ. Francof. 1624. 1625. Argent. 1624.* In excutiendis utriusque linguæ scriptoribus, sacris, profanis non tantum excerptit omnia, quæ putavit exuli sustentura in via vitæque solitaria solacium: alendæ insuper memoriæ nonnulla assumsit, secutus Floræ Candidatos, quorum hortis multa visuntur sola specie lenocinantia. In uno libro tota bibliotheca inesse videtur, cum alias Bibliotheca liber multus esse soleat. Hanc si quis bene evolverit, viva spiransque bibliotheca appellari potest. Nam Gruterus omnem vim sapientiæ in Enchiridion quasi effuderat, propterea quod ejectus eo tempore e Palatinatu in Sueviam venerat, paratus longius fugere sub persona vel Ulyssis naufragi, vel Telephi mendicantis.

XXV. *Hephestio Alexandrinus, ενχειριδιον ποιε μετρων και ποιηματων, i. e. Enchiridion de metris & poematibus cum scholiis. Parisiis. 1553.* Reperiuntur in paucis pagellis syllabarum metrum, pedes variaque genera carminum Græcis usitatorum, exempla quoque illustrantia & pangendi carminis rationes breviter, sed fructuoso labore monstratæ. Scholia ab homine Christiano haud dubie conscripta sunt. Nam p. 89. loco exempli affert & hæc: *χρησιμων μανδρω ενδρω παιδες*, venite pueri Christianorum beatorum.

XXVI. *Constantinus Hermenopulus, cognomento Nomophylax, judex Thessalonicensis περὶ χειρων νόμου τῶ δρυβανου, ἡ ἐξ ἑβδωκοντα, i. e. Epiomen juris, quæ legum Prochiron seu Hexabiblus inscribitur. Parisiis 1540.* Adamæus Suallemburgus librum vetustate pene extinctum in vitam quasi restituit. Nimirum post Justinianum Imperatorem

torem multis annis Basilius, Constantinus & Leo, Augustissimi Principes, volumen legum ediderunt *πρόχειρον* vocatum, quod leges in compendio narrabat, ubi cum multa omiffa, pleraque etiam confufa effent, nofter hic Constantinus omiffa fupplere, confufa diftingvere, & totum opus ferme diffolurum refarcire conatus eft, eundemque titulum perfectæ epitomæ fuæ propofuit, ut *πρόχειρον* feu Prochiron appellaretur, vel Hexabiblus, quia in fex libros ea diffefta erat. In his complectitur leges antiquas cum posteriorum Imperatorum novellis, & eos, qui Magiftri dicuntur, cum legibus provincialibus, quibus admifcuit vetuftiffima quæque & perneceffaria ex trium Imperatorum Prochiro: quædam rurfus fuis notis & afterifcis notantur. Latine dedit Hermenopuli Prochirum Bernhardus Reg. Colon. 1556.

XXVII. *Sebastianus Hormoltus D. Enchiridion pietatis h. e. precatiunculas in fingulos feptimane dies diftributas, cum hymnis rhythmicis, catechefi, aliisque.* Simul acei a foro abeffe & paululum oriari licuit, delegit fibi precatiunculas puris Jambis dimetris constantes ad excitandam devotionem, ad arcendam hominum ignavorem fecuritatem & torpescentem fociordiam, ad memoriæ denique hebertudinem juvandam. Idem poftea in lingvam Germanicam mutatum legitur. Hailbronnæ.

XXVIII. *Christianus Keimannus, Reftor Gymnafii Zittavienf. Enchiridion Grammaticum.* Jenæ imprimi curavit in ufum Gymnafii Zittavienfis, Elias Weiffius auctius fecit, Christianus Weiffius celeb. denuo regulis & exemplis locupletavit, cum præmiſſa admonitione ad informatores. Omnia in eo facilia, ſententiæ Latinæ Declinationibus & Conjugationibus fubjectæ animum ſapientia, ingenium doctrina poſſunt imbuere. Prodiit 1701.

XXIX. *Ludovicus Lanus, Brixienſis, Enchiridion de Teftamentorum formulis.* Venetiis, 1569. In quo teftamenti nuncupativi, & in ſcriptis, quod clauſum appellant, norma traditur. Cuncta profecto, quæ in hac forma deducuntur, inquit Jordanus Zilettus, eo & juri pondere & interpretum autoritate vallata ſunt, ut de ejus firmitate ac robore dubitare nefas fit.

XXX. *Johannes Lauterbachius P. C. Enchiridion Veteris & Novi Teftamenti, in quo theſaurum novum omnium utriusque Teftamenti hiftoriarum & doctrinarum argumenta exhibet, appoſitis iconibus hiftorias ad vivum experimentibus.* Francof. 1573. Cumque prolixas hiftorias sæpe uno verſu comprehendat, altero doctrinam utilem in vita exponat, parvis quaſi tabellis res maxime expetendas depinxit: quandoquidem & mores informavit, & veram pietatem inſtillavit: quocirca Lauterbachiana & pueris non tantum prudentes incolas hujus mundi (ut diſticha Catonis), ſed etiam beatos cives regni cœleſtis facere poſſunt.

XXXI. *Martinus Lutherus, Enchiridion piarum precatationum cum Calendario & Paſſionali.* Witteb. 1529. 1543. 1560. Catecheſin tali ſtudio pertractat, ut ſingula capita in varias occaſiones, res, actiones & tempora diſſundat, quomodo homo in DEI legem impingat, quid credendum piis, quid a DEO petendum, ſacramenta item diligenter admodum explanat. Præcipue vero illa meratio cepit, quando Decalogum primum explicat oftenditque, quid in quoque præcepto contineatur; deinde a quibus contra unumquodque præceptum peccetur; tum quomodo Chriſtianus munus ſuum explere poſſit circa præcepta ſingula; Item, quod in explicatioue Decalogi utatur verbis quatuor, Diſco, Ago gratias, Confiteor, Oro.

XXXII. *Georgius Major, D. Enchiridion Epiftole S. pauli ad Romanos.* Commentarios veterum & recentiorum Græcorum Latinorumque in ſubſidium vocavit, præcipue Melanchthonis, cujus verba multis in locis tranſcripſit, ne lux & proprietas Philippæ orationis obſcuraretur. Et Epiftoſtam quidem

ad Romanos suis meditationibus destinavit, quod ea, teste Luthero, Majoris Præceptore, sit clavis ad scripturam sacram, & ideo omnibus piis norissima & in quotidiano usu esse debeat, ut adolescentes vel domi vel peregre eo tanquam Vade Mecum (ut olim dicebatur) uti possint.

XXXIII. *Marbodus Gallus, Poët. & vetustissimus, Enchiridion de lapidibus pretiosis.* 1531. Versu lapidum pretiosorum vim atque virtutes non ineleganter describit, nec ingratae fuerint nota Pictorii Villingensis. Habetur in calce libelli quærela cum Enchiridio ipso certans jucunditate, quod inter notabiliores lapides molaris lapis taceatur.

XXXIV. *Johannes Marre, Præsul Condomienfis, Enchiridion Sacerdotale.* Parisiis, 1519. In hoc multo labore agit de iis, quæ sunt de Deo & de sancta Trinitate credenda; de symbolo Apostolico; de quinque verbis, videlicet de credendis, agendis, vitandis, timendis & sperandis; de oratione Dominica: de virtutibus præcipuis, de pœnitentia; quibus accedunt Regulæ morales M. Johannis Gersonis. Nescit Badius Ascensius, quid in istis Collectaneis demirerur primum: sententiarumne pondera? an discendi breviter fidelitatem? an deligendi judicium? an ingenii modestiam & acumen?

XXXV. *Joachimus Minsingerus de Frundec, Enchiridion religiosum.* Primum editum est lingua Teutonica: deinde diligentius recognitum & orationibus quibusdam recentibus auctum. Non ita multo post Latinitate donatum brevibusque scholiis illustratum a Simone Mencio P.P. in Acad. Julia. Hic libellus non modo preces continet, quibuscum ad docendum quisque possit aggredi, sed & aliis laboribus fines religiose imponendos præscribit. Formulas enim precum suppeditat in Ecclesiasticis, Scholasticis, Politicis, Oeconomicis salutariter usurpandas.

XXXVI. *Theodorus Morellus, Campanus, Enchiridion oratorium.* Lipsiæ 1633. 1638. Lugduni 1636. Præstitit ille in eo, quod promisit, neque illud huc trahas, quod dici solet: plus in nigro, quam in rubro. Qui tamen quædam inserit, quæ non temere in oratione usurpes: tamen copiam tam exquisitam componit, ut divitias etiam ostentasse videatur. Plusque profuturus erat Candidatis copiar, si præcepta exemplis præmisset.

XXXVII. *Paulus Negelein, Reipubl. Aurbachia Scriba, Enchiridion precationum sacrarum.* Norimb. 1616. Succum expressit ex optimis cogitationibus Mauritii, Hassiæ Landgravii, Fuchsi, Melancthonis, Camerarii, Beustii, Majoris, Stigelii, Buchanani, Bezæ, Chytræi, Selnecceri, Reufneri, Lorichii, Schedii, Flamini, Spinulæ, Hessi, Prætorii, Fabritii, Bersmanni, Lossii, Spangenbergii, Aldenbergeri, Lindenaueri, Galli, Pomarii, Porfii, Ellingeri, Trostii, Frederi, Richteri, Thymæi, Rinderi, atque ex his tanquam elementis conflatum est corpus, vel potius corpusculum Enchiridii.

XXXVIII. *Johannes Obsopeus, Cantor, Enchiridion in usum Scholæ Culmbachianæ editum auctumque Culmbachii 1583. impressum denuo Wittebergæ 1596.* Compositæ ibi extant Antiphonæ, Responsorialia & hymni, quo ordine & melodiis per totius anni circulum vespertinis precibus cantari solent. Licet a Luca Lossio aliisque simile jam publicatum nosset Autor: tamen a proposito suo nihil absteritus est: quia sua cuique loco certa ac diversa ab aliis modulandi ratio est, & ne describendis singulis seque puerosque defatigare.

XXXIX. *Lucas Osiander, Pastor Leoburg. & Superint. Enchiridion controversiarum religionis, quæ inter Augustanæ Confessionis Theologos & Pontificios habentur.* Tubingæ 1602. 1608. Lubecæ & Wittebergæ. In hoc Enchiridio paralogismos & sophisticæ argumenta, quibus tenebræ offundi simplicioribus solent, confutat, & ita quidem confutat, ut synopsis faciat pariter quæstionum, argumentorum utriusque partis & responsonum, unde & Theologiæ studiosi & Politici viri, quibus ad perlegendos fusiores commentarios tempus vix suppetit, indicem veluti quendam habent, quo, quæ ad veritatis cœlestis confirmationem & falsorum dogmatum confutationem faciunt, breviter in memoriam sibi revocare possent. Non diffitetur Osiander Eccianum & Costerianum Enchiridion ad simile conscribendum sibi occasione præbuisse.

XL. Idem Enchiridion controversiarum, quas Augustanae Confessionis Theologi habent cum Calvinianis. Tubingæ 1604. Franc' 1603. Lubecæ 1608. Utriusque partis argumenta candide proponuntur: Adversariorum rationes nervose dissolvuntur. Et quamquam Autor eo tempore ad grandioram ætatem nondum pervenerat: consiliis tamen peritorum Theologorum & exercitatorum censura plurimum utebatur.

XXI. Idem Enchiridion controversiarum, que Augustanae Confessionis Theologis cum Anabaptistis intercedunt. Francof. 1605. Witteb. 1610. Hoc Enchiridion suafu Johannis Sattleri, Secretarii Württemberg. accepit, conformaturus idem ad genium Anabaptistarum; sed mox mutavit consilium, & Studiosæ juventutis potiorum rationem habuit.

XLII. M. Johannes Pollicarius, Enchiridion de præcipuis partibus & articulis doctrinæ Christianæ, cujus argumenta e sacro codice & probatissimis patribus conciliisque congesta magno studio ex Irenæo, Tertulliano, Justino, Origene, Cypriano, Lactantio, Hilario, Basilio, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Chrysofomo, Epiphano, Cyrillo, Fulgentio, Beda, Bernhardo, Thoma de Aquino, Anselmo, Lyra. Et probare studuit Pollicarius nostram doctrinam non esse novam, aut ab humano profectam ingenio.

XLIII. Pomponius, Jctus, Enchiridion de origine juris & L. 2. D. Noribergæ 1661. cum animadversionibus Christ. Adami Ruperti. Ex hoc responsa quædam in nostras juris civilis Pandectas deducta sunt, quas Justinianus Imperator, Tribonianus & aliorum opera usus, ex veteris prudentiæ libris concinnavit, & Principum deinde sanctiones duodecim libris complexus authenticisque constitutionibus promulgatis, suam *novæ legis* magna cum laude absolvit.

XLIV. Georgius Rhan, Joh. Bugenbagen Chalceographus, Enchiridion utriusque Musicæ practicæ, ex variis Musicorum libris pro pueris in schola Wittenbergenfi adornatum. 1536. Quæ Musices membra recensent alii, ea tanquam nihil ad rem pertinentia, quia ad opificium Theoretices magis, quam Practicæ conferri videbat, a suo Enchiridio exclusa volebat, simplicem illam quasque in triviis iactatam divisionem Musices theoreticæ & practicæ retinens. Enchiridium autem hoc in alia dissecut, quorum in primo de Musica Choralis seu Gregoriana agit, ut ipse fatetur, crassissime: in secundo de Figurali seu mensurali, idque copiosissime.

XLV. Johannes Georgius Schinckius, a Grassenberga, de formandis medicinae studiis & schola medica instituenda Enchiridion. Argentorati. 1607. Methodos & Epigraphas clarissimorum aliquot Philosophorum & Medicorum in medium adducit, Mercurialis, Sylvii, Castellani, Placotomi & Wimpinæi. Quantum in pervestigandis rei Medicæ scriptoribus processerit, quantumque ab ejusdem Enchiridio sperandum videatur, vel illud indicio sit, quod Biblia ejus iatrica nobile Medicorum monumentum audiat.

XLVI. Adamus Siberus, Enchiridion pietatis puerilis. Basileæ 1563. Lipsiæ 1580. Bis jam editum fuerat Lipsiæ, cum ex officina Oporini Basileæ sub inscriptione Enchiridii prodiret. Postquam scilicet Autor ad gubernationem scholæ illustri ad Muldam evocatus erat, consilium iniit, qua ratione pueri suæ fidei commissi compendium quoddam ante oculos haberent, unde pietatis elementa haurirent. Inde pietas puerilis (ita enim tum vocabatur libellus) etiam numerosa oratione enata est, in cujus libro I. capita Christianæ pietatis, II. preces puero- rum diurnæ, III. preces variæ, IV. duratio liberorum continentur.

XLVII. Victorinus Strigelius, Enchiridion Theologicum, h. e. libellos in usum tyronum Theologiæ de ratione discendi Theologiam, de sacris orationibus recte instituendis item Antihæsin doctrinarum in vera Dei Ecclesiæ & regno Pontificio; rationem amplificandi accommodatam ad conciones Ecclesiasticas; item responsum ad articulos Belgicæ inquisitionis: perpetuam Augustini sententiam & confessionem de controversiis horum temporum: collectionem insignium sententiarum ex epistolis Patrum. Bremæ 1584. In singulis nucleus duntaxat attingitur, præcipue in doctrina divina & institutione oratoria.

XLVIII. Conradus Vorstius, D. Enchiridion controversiarum inter Evangelicos & Pontificios.

tficios, seu index errorum Ecclesiæ Romane una cum Antidoto. Steinfurti 1604. Excerptum ex Tomo IV. Bellarmini; Contentusque fuit in singulis capitibus, quid apud Evangelicos extra controversiam esset, primum obiter præmonere; tum Pontificios errores ordine recensere; denique scripta aliquot nostrorum hominum, in quibus illi refutantur, examinare. Nam plures afferre modum Enchiridii excedere videbatur; perinde ut vel præcipuas rationes utriusque partis. Idem laborem voluit auditoribus suis in describendo demere, & totum opus Bellarminianum uni velut obrutui exponere.

XLIX. Huldéricus Zwinglius Enchiridion psalms. Tiguri 1532. Psalmos Davidis satis perspicua Latinitate donavit, quod opusculum e suis cineribus, ut loquitur, protraxit Leo Jud. qui & idem Zwinglii mortem excusat & laudat. Singulis Psalmis terse transfusus argumenta sua præmittuntur.

L. Prodiit aliquoties Enchiridion Principis pii, quod Andreas Celichius, Superint. Megalopolitanus 1593. denuo typis instaurari salubri consilio curavit. In eo agitur de potioribus fidei Christianæ articulis, omnino probatio fundamento recto nititur autoritatis divinæ, quam Scriptura monstrat, paucis exceptis Patrum testimoniis, quæ tamen ut succenturiantia duntaxat adducuntur. Habet hic lector Enchiridion quoddam sacrum dictorum divinorum & parva Biblia manu Principis confecta. O si de tam venerabili constaret nomine! O si talis fœtus Principis nova impressura omnium manibus etiam sub nomine Principis infereretur!

LI. Enchiridion Ethicum, ex Aristotele, ut videtur, collectum, & post ab Erycio Puteano Latine versum. Lovanii 1620. Quis eam operam sibi sumferit, laudet; quisquis tamen ille fuit, censente Puteano, magnus fuit, atque præfixo hæctenus nomine Aristotelis dignissimus. Nam unico Enchiridio egregie absolvit, quod ne vastis quidem voluminibus multorum comprehendi potuit, sic ut libelli totius argumentum animæ partibus expositis compleatur, ratione, ira, cupiditate: rationis virtus ponatur prudentia; vitium iracundia, timiditas: cupiditatis virtus temperantia, continentia; vitium intemperantia, incontinentia: totius animæ virtus justitia, liberalitas, magnanimitas; vitium injulitia, avaritia, pusillanimitas. Et Puteanus quidem, homo acutus, Enchiridio novum insuper addidit Enchiridion; quodnam? nervositatem stili sui & Lipsianum quandam genium.

LII. Enchiridion Poëticum editum est Argentinæ 1513. Joh. Schotto impressore, ubi conquisita habentur Epitheta omnia Virgilio, idque juxta seriem literarum cum hemistichiis, versuum clausulis & periphrasibus. Ibidem & aliorum Poëtarum Epitheta inveniuntur. Cum vero Epithetorum tanta sit utilitas in eloquentia, sive proprietatem rerum, sive discrimina rerum, sive ornatum dicendi spectemus, potissimum si Principi Poëtarum ea debentur: non debet non juvenuti in bicipiti Parnasso somniare cupienti istud Enchiridion commendari.

LIII. Enchiridion juris. Lugduni 1537. in quo docetur de verborum & rerum significatione ex Pandectis; de regulis juris tam ex Pandectis, quam ex Decretalibus & Sexto; de gradibus affinitatis ex Pandectis; item extant rubricæ omnes Cæsarei & pontificii juris. Literæ nitidæ, & concisa brevitas, & formæ commoditas allucere sua sponte lectorem possit.

LIV. Enchiridion elementorum puerilium. Wittebergæ 1527. quod semel atque iterum recusum. Præfatus est Philippus, communis ille Germaniæ Magister, more suo graviter, puerosque cum pietate ad bonas literas adhortatus est. Hic autem nihil habetur, præter elementa literarum, orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, Psalmum 66. capita 5. 6. & 7. Matthæi, caput 12. epistolæ Pauli ad Romanos, Psalmum 127. quædam ex Mostellaria Plauti, quædam ex Ausonio de studio puerili, & dicta sapientum ex Erasmo, postremo nonnulla Ovidiana. Sic ergo pietati & moribus cura omnis adhibetur. Sed ne pluribus insitam fortassis cum tædio Lectoris, eidem alia quædam, quibus fallere tempus pro lubitu possit, Enchiridia nominabo. Dederunt enim adhuc


Ludovicus

FK IIa 342 x 296 479 vd 18

Ludovicus Abelinus, *Enchiridion* Episcopalis sollicitudinis. Parisiis. 1668. Anenus Poeta *Enchiridion* V. & N. Tra-
 flamanti. Christophorus Angelus *Enchiridion* Ecclesie Graecae, ex versione Georgii Felavii. Francoe. 1679. Apollinaris
Enchiridion remediorum facile parabilem, e Germanico in Latinum sermonem versum a Rudolpho Goelemio. Francoe.
 1610. Asplicuta, *Enchiridion* Confessariorum & Penitentium. Antverpiae 1601. Carolus Batus, *Enchiridion*, *Cointra-*
gorum Belgiae. Dordraci 1591. Martinus Beer, Norimbergensis, *Enchiridion* Geographiae veteris & nova. 1665. Marcus
 Mantua Benavides, *Enchiridion rerum singularium*. Petrus Binsefeldus, *Enchiridion debitorum*. Idem, *Enchiridion*
Theologiae moralis. 1590. Colon. 1595. Idem *Enchiridion Theologiae Paschoralis*. Idem, *Enchiridion*
debitum ex examinandis. Colon. 1591. 1598. Johannus Boniati *Enchiridion juris*. Heidelberg. 1570. VVilhelmus Boscar-
 tus Bergizomus, *Enchiridion de Actis S. Augustini*. Mechlinia 1647. Laurentius Boehelus, *Crossifilius*, *Enchiridion*
Christiani Jcti. 1613. Jo. Busanus, *Enchiridion piarum meditationum in omnes Dominicos dies*. Moguntiae 1606.
 Petri Canjii *Enchiridion itinerantium*. Antverpiae 1599. Gregorius Capacinus, Neapolitanus, *Enchiridion Ecclesiasu-*
rum. Venetiis 1588. D. Sebastian. Cattaneus, Dominicanus, *Enchiridion eorum, quae in controversiam Vocantur*. In-
 gollatadii. 1589. Brun. Charman, *Enchiridion pietatis*. Colon. 1661. Alexander Chastaneus, *Enchiridion juris civilis*.
 Parisi. 1631. D. Martini Chemnitii *Enchiridion de praecipua doctrina caelestis capitibus per quaestiones & responsiones*.
 Francoe. Andreas Christianus Ripensis, Medicus, *Enchiridion Medicum de cognoscendo curandisque externis & inter-*
nis humani corporis morbis, ex Victoris Princavelli praelectionibus de compositione medicamentorum atque morbis
 particularibus concinnatum. 1583. 1607. Job. Arnold. Corvinus, *Enchiridion seu Institutiones imperiales, per eorumata*
explicitas. Amstel. 1644. Fridericus Dedekindus, *Enchiridion Dominicale Evangelium & Epistolae totius anni continens*.
 Lubecae 1607. Henricus a Dylh, *Enchiridion religionis Christianae*. 1641. Fr. Dillingham, *Enchiridion fidei Christianae*.
 Londini. 1613. Johannes Donatus, *Enchiridion regularum juris*. 1574. Anton. Fage *Enchiridion Theologicum aporeticu-*
um methodo compositum ex ipsis disputationibus. Genevæ 1586. 1604. F. Felicianus, Episcopus Scalesis, *Enchiridion de*
coenivis, irregularitate & privilegiis. Ingollat. 1583. Don. Ant. Ferrus, *Enchiridion de podagra*. 1522. Job. Vincen-
 tinus Fincelius, *Enchiridion arithmetico-Hermeticum*. 1618. Salomon Giasius, *Enchiridion sacrae scripturae practicum*.
 Gotha 1651. Chilian Goldstein, *Enchiridion processus judicarii*. Francoe. 1568. 1585. Job. Baptista Goyens, *Praxien-*
sis Istrus, Enchiridion medicum. Venetiis. 1582. Paduani de Graisy, *Enchiridion scholasticum contradictionum quodlibet-*
arialium Doct. subtilis. Venet. 1581. Job. Gropperus, Diaconus Coloniaensis, *Enchiridion*. Guil. Grotius, *Enchiridion de*
praecipuis naturalibus. Jenæ. 1675. Jodocus Harchius, Mentensis Med. *Enchiridion pharmacorum simplicium carminicis*,
 Nic. Hemmingii *Enchiridion Theologicum*. Lipsi. 1581. Joach. Hildebrandus, *Enchiridion de primitiva Ecclesia sacris publi-*
cis, temporis & diebus festis. Helmst. 1592. Thomas Kempenis seu a Campis, Epitaphium seu *Enchiridion Monachorum*. Ti-
 moth. Kirchmeyer, *Enchiridion Theologicum*. Job. Justus Landspurgus *Enchiridion, sive thesaurus Christianae ad nobilitatem vite,*
quae in Christo Jesu est, perfecte insituentis. Colon. 1607. Antverp. 1576. Georgius Magirus, *Enchiridion variarum histo-*
riarum carminicis. 1676. Matthaeus Cornax a Medla, Philosophus & Medicus, *Enchiridion Medicum*. Basil. 1564. An-
 gustus Marloratus, *Enchiridion Locorum Theol. commun.* Basil. 1651. Maximilianus, Serevianus *Archidiaec. Augustis, si-*
crarum precum Enchiridion. VVitreburgi 1600. Dominicus Merzinius, *Enchiridion precum*. Colon. 1618. Job. Mi-
 chael, *Enchiridion quotidianorum exercitiorum spiritualium triplicis viae, purgativae, illuminativae & unitivae*. Lugduni. 1599.
 & Colon. Ant. Mizaldi *Enchiridion secretorum agra*. Parisi. 1565. Servatius Myricanus, *Enchiridion fratrum Mino-*
rum completens regulam S. Francisci. Antverpiae 1591. & 1600. Nicomachus Gerajinus, Philosophus Pythagoricus, *Enchi-*
ridion Harmonicum Graecae, cura Joh. Meurl. Lugduni Barav. 1616. Santes Pagninus, *Enchiridion fratrum*
Armeniacorum, Targum Madraschin, Beresit, Samot, Vojktra, Midabar, Rabba & multorum aliorum librorum. Romae. 1513. Ca-
 rolus Pagnus, Genev. *Enchiridion medico-Astrochymicum*. Olyslip. 1664. Theophilus Pistorius, *Enchiridion lingua He-*
braicae. Gerbafus Pizzurnius, *Enchiridion Exorcisticum*. Lugduni 1668. Prudentis *Enchiridion V. & N. Testamenti,*
διηγεσθαι Graecae, a duplici quasi cibo appellatum, vel, ut contendit Giffanius *ὄντα τριζοῦ*. B. Reidanus, Jctus, *En-*
chiridion usum Fœdaliium. Job. Robinus, *Enchiridion Isagogicum ad faciliorem notitiam stirpium in digenarum & exotri-*
carum. Job. Imbertus, Rospellanus, *Enchiridion juris Galliae*. Lugduni 1586. Gregor. Samojationis *Enchiridion impedi-*
mentorum matrimonii. Herm. Samsonius, Paphor Rigenis, *Enchiridion, articulozum fidei*. Serbatius Sacre. Leodienis,
Enchiridion Graecae Grammaticae. Sextus, Pythagoricus, *Enchiridion sententiarum*. Joseph. Scaliger, *Enchiridion, sive*
Lexicon Hebr. Chald. Rabb. & Talmudicum. Job. Schræderi *Enchiridion Locorum Theol.* Magdeb. 1620. Jac. Sinace-
 na, *Enchiridion iudicum violatae religionis*. Julianus Tabacius, *Enchiridion discipline legalis*. Lugduni 1570. Janus To-
 scanus, *Enchiridion Locorum Theol.* Lipsiæ 1682. Job. Venator, *Enchiridion controversiarum*. Alcmar. 1608. Sin. Verre-
 preum, *Enchiridion piarum precationum, figuris illustratum*. Antverpiae 1582. 1594. 1599. Idem, *Catholicorum precationum sele-*
ctissimarum Enchiridion cum figuris aeneis. Antverp. 1609. Zacharius Ursinus, *Enchiridion Catecheticum ex Zachariae U-*
rsini praelectionibus excerptum. Ambergae 1596. Georgius Vivianus *Enchiridion tit. ff. de verborum & rerum signifi-*
catione. 1550. *Enchiridion, in quo collecta carmina Tarcia*. *Enchiridion capitum biblicorum; succinctas summas ex D.*
Luce Osiandri commentariis biblicis transumptas continens. Tubingæ 1601. *Enchiridion, continens Symbolum Apostoli-*
cum, Francoe 1598. Enchiridion vere animum piarum & Christianarum meditationum ac precum de vita & passione Chri-
sti, ex D. Bernhadi, Anselmi & Ludolphi scriptis jamprimum concinnatum. Colon. 1578. *Enchiridion piarum precation-*
um. Antverpiae 1599. *Enchiridion continens Psalmos 7. penitentiales, orationem abbatum Leonis Papae, aliquot oratio-*
nes ad versus omnia mundi pericula, orationem B. Augustini, cum informatione Calendi. Gregor. Papae. Lugduni 1575. 1590.
Enchiridion itinerantium continens exercitium quotidianum cum 7. Psalmis panis, & orationibus ex officio V. Marie
Virg. reformato definitis. Antverp. 1599. *Institutionum Jansenianarum Enchiridion*. Antverp. 1566. *Enchiridion Ciceronia-*
num, continens elegantiarum Latinis sermonibus praeceptiones Vogelmanni, Lipsii Valli; item de concubendis Epistolae
praecipua; item Epistola, Antistheta & Adjuncta Ciceroniana. Magdeburg. 1605. Haec quidem nunc de Enchiridiis.
 Ceterum non male consulere juvenibus ad altiora studia sese accingentibus, qui eis inter alias partes etiam Philosophi-
 am civilem synoptice, ut ita dicam, & tanquam in Enchiridiis proponant, quibus deinde in Academicis majorem eju-
 dem copiam superfluerunt. Hujusmodi infiniti speciem dedit deducit in Alman Philuram

JOHANNES ANDREAS TROEMERUS, Drestensis, DN. ANDREAE TROEMERT, Vici
 de suis officiis insigniter meriti, bene natus filius. Erenim & Ethicam & Politicam in compendium contraxit ad instar
Enchiridiorum, adjectis ex Historia Saxonica in illustrationem FRIDERICIS, BELLICOSO, PLACIDO,
 unde ulterius in vicibus heroicis, Ser. ac Pot. Regis ac Elektoris nostri, FRIDERICI AUGUSTI I. Domini
 nostri longe clementissimi, itemque FRIDERICI AUGUSTI II. Principis Regii ac Hareditarii cum piis
 votis excurrit. Valedictioni Germanicae Marbodeus supra citatus in variis lapidibus occasione dedit. Quem

Johannes Carolus Heclius, Schneebegenensis.
 Deus gratia sua, tanquam umbone, novum istum Mularum Lipsiensium alumnum in commodum Patriae Parentumque
 gaudium tegat ac meatur! P. P. Cygnæe d. 19. April. An. 1706.



nc

FK 134
97

De *Echinidicium scriptoribus*

IIa
343

2. D. B. VI!

VALEDICTURUM

DIE CRASTINO

IN

AUDITORIO MAJORI

ANNEM ANDREAM
RÖMERUM,

DRESDENSEM,

UT

AGNE ET BENEVOLE AUDIANT,

INDOS DNN. INSPECTORES,

CONOS, FAUTORES

AMICOSQVE NOSTROS

OFFICIOSE ET PERAMANTER ROGAT

ORGIVS ANDREAS Binholz/ RECTOR.

— — — — —
CYGNEÆ,
LITERIS FRIDERICIANIS.

BIBLIOTHECA
PUNICIAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(BAULE)



*Echinidia,
Torques Danicus.*